



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Mysteria Complectitur Incarnationis & Infantiae Iesv Christi Domini
Nostri, vsque ad eius Baptismum

Puente, Luis de la

Coloniae, 1613

Med. 2. De infinita Dei charitate, quæ in Mysterio Incarnationis elucet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54647](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54647)

fas retinebas; nunc verò in hoc opere specta-
biles nobis fecisti. Quid offerre possum, quod
exiguum non sit, ad tantum donū? Quomodo
eius causa te diligam, & seruitio tuo dignum
aliquid faciam? Ecce me, Domine, totum diui-
no tuo obsequio dicatum, cupientem ita dili-
gere te, vt à te sentio me amatum; & virtutes
mihi ostensas imitari, & siquidem, quod plus
est, donasti: da etiam quod est minus: vt te dili-
gam propter infinitum hoc in me collatum
beneficium. Amen.

MEDITATIO II.

DE INFINITA DEI
CHARITATE, QVAE IN MY-
STERIO Incarnationis elucet, ac de ingen-
tibus bonis ex eo nobis prouenien-
tibus.



QUAMVIS diuina omnes perfe-
ctiones in Decreto Incarnatio-
nis, vt diximus, emineant, omnes
tamen excellit charitas, de qua
(reliquis in 6. partē reiectis) hac
instituetur Meditatio. cuius Thema & Argu-
mentum erit Christi sententia Nicodemo pro-
posita. a Sic Deus dilexit mundum, vt filium
suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in
eum non pereat; sed habeat vitam aeternā. Qui-
bus verbi tria huius mysterij potissima membra

2 Ioan. 3. 16.

1. Ioan. 4. 9.

com-

ompendio complexus est Christus: Præcipuum eius fontem, ex quo charitas illa manavit; eius excellentiam; & finem effectusq; eius admirandos.

PUNCTVM I.

Sic Deus dilexit mundum.

P R I M V M omnium est perpendenda infinita eius, qui nos dilexit, & excellentissimum hoc beneficium contulit, magnitudo; cum qua si eius, qui dilectus est, cuique hoc beneficium est collatum, vilitas conferatur, erit propè infinita.

I.

O R I G O præclarissimi huius beneficij, fuit charitas Dei infinita, qui utilitatis aut beatitudinis suæ intuitu, neminè, extra seipsum, amare opus habet, quiq; sui ipsius aspectu & amore, infinitè beatus est. Nihilominus merâ suâ gratiâ voluit creaturas amare, eisq; benefacere, eo solo nomine quod ipse bonus sit; & ut in eis diuitias suæ bonitatis ostenderet, iuxta il-

b Ephes. 2. 4

Jud Apostoli: b Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam dilexit nos, quasi nobis diceret, non dilexit nos Deus, quod nostri indigeret, aut quod nos id iustitiæ meriti essemus: sed quod eius misericordia miseræ nostræ compassa sit; & charitas suffundere se voluerit, ut amaret nos.

II.

D E I N D E pergam considerando, infinitam Dei charitatem ulterius multò progressam esse, quod **M** V N D V M talè diligere voluerit: mundi enim nomine multitudinem intellexit hominum peccatorum, qui non modò in Adamo peccasse, & originalis illius culpæ maculam

con.

contraxisse censentur; sed sponte etiã ac voluntate propria in gravissima postea actualia scelera sunt prolapsi: ob quã non solum dilectione digni nõ erant; sed odij potius rei constituti fuerunt. Non itaque solum dilexit Deus homines, antequam essent; ac proinde nec amici nec inimici; sed etiam cum inimici, rebelles, & innumeris beneficiis, quã acceperant, ingratißimi essent: quò infinitos misericordiã & charitatis suã thesauros manifestaret.

CONFERAM TERTIÒ quã Deus in cælo, cum ijs quã homines in terra faciunt: perpendens quod Deus mundum, à quo odio habetur, diligit; mundus Deum, à quo diligitur, detestetur; mundus in Deo offendendo occupatur, cum Deus in benè eidẽ faciendo versetur. Obstupescam detestandã mundi iniquitatem; & admirabor infinitam Dei charitatem. O Deus infinitã maiestatis! quomodo mundum infinitã vilitatis dignaris diligere? qui nosti, qualis ille sit: quomodo non illum potius perhorrescis? quomodo tantum scelus non mergis in profundum, aut in nihilum redigis? Benedicta sit immensa ista tua charitas, in cuius sinu amor erga ingratißimam creaturam tantum locũ habet. Ostende eam erga me Deus: ut sicut tu me; ita ego te diligam, tibiq; ut par est seruiam. Hęc tria mihi ipsi applicabo, me ipsum loco mundi collocans: qui ut ingratißimus Deum horruerim & offenderim: nec propterea, ille me diligere intermiserit,

cupiens

III.

SPONTE
F.

capiens benefaciendo mihi, in suum me perducere amorem.

PUNCTVM II.

I.
Vt filium
suum vnigenitum
daret.

DEINDE, ipsius doni à Deo mudo oblatai magnitudo infinita perpendenda est: ipse enim est vnigenitus Patris æterni filius. Illud autem hic imprimis obseruatum dignum est: Dei amorem non in solis verbis, aut pulchris verborum lenociniis positum esse; sed in verè ac re ipsa benefaciendo dilectis, ei verò præ aliis, què plus diligit. Hinc est, quòd ad infinitam huius amoris magnitudinem ostendendam, preciosissimum quod habuic nobis donauit, hoc est æqualis dignitatis, vnumque ac eundem Deum secum, qui est vnigenitus filius eius: volens illum hominem sicut nos fieri; a & in ipso in habitare omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter. b & de plenitudine eius nos omnes accipere. Propterea ipse Christus Dominus noster, vt diuini amoris magnitudinem extolleret, dixit: c Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. quasi diceret, non potuit amplius Deus mundum diligere, qui filium suum, nec qualemcunque, sed naturalem & vnicum illi dedit. Loco vocis illius: *Dilexit*, similes alias licebit substituere. v.g. tanti Deus mundum fecit; ita honorauit, glorificauit, exaltauit, ditauit, protexit, vt filium suum vnigenitum daret: idque merà suà gratiâ, cum sit nemo qui tantum possit donum promereri.

a Col. 2. 9.

b Ioan. 1. 16.

c Ioan. 3. 16.

II.

Mox perpendam, Cui donum hoc fit collatum? peruerso, inquam, ingrato & nō agnoscenti, adeoq; bestiali mundo, venientem magnum illum Dei vnigenitum ad cohabitandū, d *non cognouerit*, non æstimauerit, non, vt par d *Ioan. 1. 10.* erat, sit reueritus; nec pro accepto tanto honore & beneficio gratus esse nouerit. Quare si, quod Deus hominum gratiā præstat, dum vnigenitum suū ei dat, cum eo conferam, quod homines aduersus Deum faciunt, dum tantum beneficium non agnoscentes, ipsum offendere audent; vehementer diuinam Dei charitatem admirabor, optans, illum pro tanto beneficio serū amare, & re ipsa amorem hūc ostendere: vt, sicut Deus vnicum, quem habet, filium mihi dedit; vicissim ego vnica, quam ab ipso accepi, animam eidem reddā; & cor ipsum, memoriam, voluntatem, mentemque meam, & sensus omnes ac facultates in amando ac seruendo tali Patri, qui talem mundo filium dedit, omninō collocem.

O PATER AETERNE, quantas possum maximas gratias tibi ago, pro infinita tua erga nos charitate, quam tibi charissimā & pretiosissimam nobis dedisti. Cupio Domine amare te, vt sentio me amari à te; ideoq; e pretiosissima, quam habeo tibi trado: accipe cor meum, in pignus ac recognitionem tanti amoris tui: vt ex hoc nunc e *non verbo & lingua* c1. *Ioan. 3.* tantum, sed *opere & veritate diligam te*, glo- 18. riamque tuam semper, absque prophani cuiuspiam admixtione quæram.

PUNCTVM II.

*Ut omnis
qui credit in
eum non pe-
reat sed ha-
beat vitam
eternam.*

a Ioan. 3. 16

b Ioan. 12.

47.

I.

II.

TERTIO, considerandus est finis, ob quem Deus vnigenitum suum mundo dedit; & commoda, quæ hominibus inde pro-
ueniunt. *a* *ut omnis*, inquit, *qui credit in eum non
pereat sed habeat vitam æternam.* Perpende
igitur, eundem filium Dei ad hoc venisse in
mundum. *b* *ut* (quod ipsemet est testatus) *salui-
ficet mundum*, perfectissima quadam saluatio-
ne, quæ in duobus consistit. PRIMVM, quod re-
mouet omnia, quæ causa sunt, cur ille pereat &
damnetur: dum peccata illi condonat; à de-
monis seruitute vindicat; ab æterno inferni
carcere, reliquisq; miserijs culpæ annexis, at-
que ad eandem impellentibus eripit. SECUN-
DVM, quod vitam dat gratiæ, cum ceteris su-
pernaturalibus virtutibus, eam comitantibus,
ac vitam demum æternam. In quibus duobus
innumera alia includuntur, de quibus in poste-
rum dicetur. DENIQUE, ut fit, è magni huius
beneficij considerationi imponamus, vult Deus
illud ad omnes huius mundi homines extendi,
cuiuscunque illi status sint & conditionis; ne-
mine, quod in ipso est, excluso, qui fide viuam
credens in eum velit, quorum nullus peribit;
sed omnes vitam æternam consequentur. Quod
si ita est, ad me quoque beneficium hoc specta-
re intelligam: licebitque, mihi ipsi verba il-
la omnia accommodare, vereque dicere: *si
Deus dilexit me, ut filium suum vnigenitum mi-
hi daret; ut credens in eum fide viuâ, non pe-*

team,

ream, sed habeam vitam aeternam. O vnigenite Patris filii, quas tibi grates referam pro eo quod in mundum huic veneris, nos à tantis malis liberaturus, & ad tanta bona deducturus? Tu nostra peccata condonas, infernū spoliās, Paradisi ostia pandis, Dæmonem vincis, de mundo triumphas, carnem nostram domas, imminētia nobis pericula auertis, tristitias solaris, opera nostra viuificas, merita promoues, perseverantiam in tua gratia largiris; ac denique tuā nos gloriā coronas. Horum nihil absque te habuissēmus; & omnia per te habemus: per quem benedictiones omnes caelestes, & misericordiae, quae terram replent, ad nos descendunt. Sit semper benedictus Pater, qui te nobis dedit: sisque tu, filii, benedictus, qui vt nobis subuenires, remedium tantum attulisti. Subueni mihi, Domine, efficaciter, *ne peream; sed aeternam per te vitam obtineam.*

Ex dictis in vtraque proxima Meditatione constat, causas & incentiua Incarnationis ad tres ordines reduci posse, inter annalorum catena instar coherentes. Vnus est ex parte perfectionum diuinarum; quò scilicet illa manifestentur: Secundus ex parte nostrarum miseriarum; vt illa reparentur: Tertius ex parte supernaturalium diuitiarum gratia & gloria; vt illa nobis communicentur. Ex quibus tribus fortissimus funiculus, est contexendus, quo nos ipsos diuino verbo colligemus, perfectoque amore connectamus: cum tot sint amoris huius

excitamenta, quot sunt perfectiones diuinis
 manifestata: quot miseria nostra, à quibus
 nos liberauit; quot denique gratia, quas nobis
 est promeritus.

MEDITATIO III.

**DE DIVINO ILLO
 DECRETO, QVO DEVS STA-
 tuit, ex Fœmina nasci; & de B. Virgi-
 nis in matrem suam electione, ac singu-
 laribus gratijs eidem in puncto
 sua conceptionis ad id
 collatis.**

PUNCTVM I.

D. Thom. 3.
 p. 9. 31. a. 4.

a Gal. 4. 4.

b Gen. 3. 51.

I.



PRIMUM considera: Deum, et
 postquam homo fieri decreuit
 perfecti viri corpus, quale fuit
 Adami, accipere potuisset, non
 tamen ita fecisset; sed a ex muliere
 nasci. (vt Apostolus ait) matremque, vt ceteri
 homines, habere voluisse; idque in ipso mun-
 di initio reuelasse, cum serpenti dixit: b *Serua
 mulieris caput eius contritutum.* Ad hoc sta-
 tuendum aliquæ illum causæ induxerunt, quibus
 infinitam suam, in commodum nostrum
 charitatem aperuit. PRIMA, quod diuina bo-
 nitas, quæ suis creaturis adeò libenter se com-
 municat, amplius sese diffunderet, in verum